



Panis Evangelici Fragmenta Quadragesimalia Tripartita

Ex sanctissimo Dei Verbo copiosè & sedulo collecta, Sanctorum Patrum, variorumque Auctorum sententiis & conceptibus mirificè aucta; Et Omnibus Quidem Anni Dominicis; præcipuè tamen singulis Quadragesimæ Dominicis & Feriis per binas ad minus, sæpius denas aut septenas Conciones fideli Populo ...

Lingendes, Claude de

Coloniae Agrippinae, 1689

XLVI. Quæ prima est de Humilitate, dicit mirandum esse, cùm tam rara sit ea virtus, cum ad eam sint tot incitamenta & subsidia.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56356](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56356)

quorum in particulari hæc propositio sit vel comminatoria vel enuntiatiua : nam si respectu tui est tantum comminatoria, potes effugere: si sit enuntiatiua, de te penitus actum est : sed certè ab unoquoque pendet qualis sit, quia qualis futurus sis, à te pendet, neque enim aliud enuntiat, quam quod futurus es : quanquam à te pendet, & à Deo; nam potes non mori in peccato, si non peccare volueris : sed si peccaris, quæ securitas ut

in peccato non moriaris? potes quidem non mori, uti sapius in te factum est : sed potes etiam mori; quod pluribus accidit: Verum seu tibi hoc dicatur comminatoriè, seu enuntiativè, time, & exhorresce, & pète à Deo ne deprehendaris ; sed si peccaris, statim te pœniteat; tene certum, dimitte incertum; quia agitur de æternitate, quam Deus beatam nobis concedat. Amen.



FERIA TERTIA
DOMINICÆ SECUNDÆ
IN QUADRAGESIMA
CONCIO PRIMA
DE HUMILITATE.

Miratur cur tam rara sit vera humilitas cum ad eam tot sint incitamenta, & subsidia,

Qui se exaltauerit humiliabitur, & qui se humiliauerit exaltabitur. Matth. 23.

HUMILITATIS doctrina omnibus hominibus necessaria est, tum illis qui obediunt, tum illis qui præsent. Unde utrosque Christus erudit. Ac 1. quidem eos qui obediunt, dum ait, *Super Cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei,* docens fieri plerumque ut deteriores melioribus imperent; verum docet, non spectandos mores, non prudentiam, non sapientiam, sed auctoritatem quam habent à Deo : 2. ac præcipuè eos qui imperant quia ob auctoritatem quam habent, facilius extolluntur : Vnde re-
pre-

prehendit jactationem, appellationum atque nominum affectationem, & honorabilium sedium ambitionem, & alia hujusmodi. Ac in univcrsum ita compescit ambitum ut ostendat præposterâ ratione homines honorem ambire, cum exaltatio deprimat, unusque modus sese efferendi sit humiliatio; cujus rei cognitio quia plurimum refert ad eam accuramus quæ hujus virtutis magistra est: etsi enim virginitate placuit, sed humilitate concepit. AVE MARIA.

Absque ullius lædendi aut offendendi proposito, interrogationem quæstionemve hanc induco pro argumento hujusce Concionis. Undenam fit, ut adeò paululum humilitatis sit inter homines, ac licet omnes virtutes raræ sint, nihil tamen rarius sit & ad pauciores pertinens quam humilitas: reperio enim complures qui devotione præditi sunt, multos qui sunt misericordes, multos qui temperantiam exercent; sed minor omnium numerus est eorum qui vere humiles sint; & de humili dici potest eum esse Phœnicem in mundo. Porro hæc sunt quæ admirationem meam adaugent.

1. Humilitatis necessitas; Et 1. quidem ad salutem secundum illud Christi Domini Matth. 18. *Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cælorum*: quæ de re Dorothæus doct. 14. omnium Patrum fuit una sententia: Ita impossibile esse animam salvari absque humilitate, ut navim sine clavis ædificari.

2. Ad præceptorum observationem. In primis in genere, ut anima subdita sit Deo. Unde B. Ignatius hunc primum ponit humilitatis gradum, ut anima ita se Deo subdat, ut nulla occasione vel spe, nullo timore proposito Deum offendere velit. Deinde ut multa in particulari præcepta servantur; ut fidei, quæ requirit obsequium intellectus; Confessionis, obedientiæ, charitatis erga proximum, condonationis injuriarum, &c.

3. Ad alias virtutes habendas: unde à Beato Chrysoſtomo aliarum initium, & fundamentum appellatur: Quædam enim virtutes quoniam secundum varias rationes alijs necessariae sunt, propterea aliarum dicuntur fundamentum, vel perfectio: Quia igitur virtutes ingrediuntur in animam per humilitatem, idcirco dicitur reliquarum initium, & fundamentum: & ita quidam è senioribus dixit apud Doroth. doct. 2. ante omnia nobis opus est humilitate; & ibid. Ioannes Abbas dicere solitus refertur, totam humilitatem nos introducere: Et ita Abbas Pastor apud eundem doct. 7. dixit virtutes omnes cum gemitu domum ad virtutem unam commigrasse, & hominem extra hanc frustra eniti, & laborare: Interrogatusque quænam illa esset, hæc ait, ut seipsum homo accuset. Et idem Doroth. doct. 14. Vbi construit ædificium spiritale, comparat humilitatem bitumini; quia uti sine illo lapides non ligantur, ita sine illâ virtutes non constant: omnis igitur virtus absque humilitate non reputatur virtus à Patribus. Eò pertinet certum esse atque indubitatum argumentum in homine virtutes reperiri in quo insit humilitas: ut enim inquit ipsemet Doroth. doct. 2. Arbores cum multo fructu onustæ fuerint, inclinant ramos, & eos plerumque frangunt, qui autem ramus nullum habet fructum, attollitur in altum, & rectus assurgit: quod si, ut multi experti sunt, lapis appendatur, inclinaturque ramus, ne rectus assurgat, illicò poma parit: sic anima nostra si humilietur, statim fructus edit, quantoque plures fructus attulerit, tanto magis humiliatur: unde humilitas est animæ fecunditas.

4. Ut virtutes sint integræ & solidæ. Vnde S. Aug. lib. 19. de Civit. cap. 25. Negat virtutes Philosophorum, & Sapientum Ethnicorum veras virtutes fuisse ob humilitatis defectum: Nam licet (inquit) à quibusdam tunc verè

veræ & honestæ putentur virtutes cum ad se ipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur etiã tunc inflatæ ac superbæ sunt, & idè virtutes nõ virtutes, sed vitia iudicanda sunt; sicut enim non est à carne, sed super carnem, quod carne facit vivere, sic nõ est ab homine, sed super hominẽ, quod hominem facit beatè vivere; nec solũ hominẽ, sed etiam quamlibet potestatem, virtutemq; cœlestem. Hæc ille. Sicut itaq; in arẽ tollitur vento palea granum verò remanet dum ventilatur; ita vacuæ antiquorum virtutes vanitate, & inanis gloriæ cupiditate, & inanis gloriæ cupiditate amissæ sunt, adè ut tam multa in speciem præclarè gesta ipsis perierint, ac quotidie vanis hominibus pereant, ea bona superbiã disperdente.

5. Ut virtutes custodiantur 1. tentationibus resistendo: ut enim agebat ille senex quem dicere solitum retulimus ante omnia nobis opus esse humilitate: omnia hostis & adversarij nostri tela per humilitatem dirumpuntur: Et si B. Antonius cum laqueos toti orbi super expansos vidisset, suspirans Dominum rogavit, quis esset evasurus; responsum accepit, solam humilitatem evadere, quam ejusmodi reia contingere non possent: 2. impediendo ne per vanam gloriam amittantur, quam bonorum nostrorum improbam deprædatricem appellat Chrysost. qui ait Dæmones in fine actionum nos adoriri, ut prædones onustam navim, non autem solventem à portu: Et eodem sensu Basil. Blandam furatricem appellavit; alii suave venenum, vocaverunt.

2. Admirationis meæ causa, est Humilitatis facilitas. In primis quod fermè consistat in negationibus, ad quas non opus actione, sed quiete, & cessatione: scilicet non extolli, non sibi placere, non sua laudare, non sua narrare, non se extollere, non aliorum laudes imminuere, non invidere sua sibi non tribuere, & sexcenta alia quæ negativa sunt. Deinde quia

in illa cõsistit animi quies quam omnes quaerimus: Itaq; sollicitudinem non habet, neque curam, neq; laborem, neque conatum, secundum illud Christi Domini. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*; Immo instar est olei, quo excitati fluctus statim derumescunt: nam ut inquit Doroth. doct. 2. humili quidquid adversi contigerit, illico in se totus contrahitur, illico judicat se dignum esse eã adversitate & arumnã, nec sustinet quemquam accusare; non sustinet in alium causam hujusmodi inferre, ac sine perturbatione, sine molestiã, cum omni tranquillitate se habet: Non igitur si humilis malè habeatur, conqueritur, quia se pro meritis tractari putat, sed tunc tantũ stupet, cum honore excipitur, ut si rusticus principis domum ingrediatur, non agrè fert si contemnatur, sed sibi illud credere, si illum princeps honoraret, ac juxta se sedere juberet: eodem modo humilis facile fert contemptum, sed honorem æquo animo ferre non potest, quia sibi deberi non putat.

Tertia hæc causa est cur tam paucos esse humiles demirer; Quod nullius virtutis tot habemus subsidia, quot ad humilitatem nobis suppetunt, ad quam universa nos adjuvant & urgent. Faciamus triplicem rerum omnium ordinem: Deus primum possidet: Statuamus nõ in secundo, cum nosmetipsos melius quam reliqua omnia noscamus: postremo nos omnibus creaturis circumdabimus.

I.

Consideratio Majestatis Divinæ nos obligat, non tam ad nos humilitate deprimendos, quam ad nos penitus exinaniendos; Imitando exemplum Reginæ Esther ad aspectum Regis Assueri, quæ in animi defectionem semel atque iterum incidit, solo illius intuitu obstupefacta; & veneratione Seraphinorum, qui se coram

coram Dei facie obvelant: Inde evenit ut Sanctissimi quique, quo prius ad Deum accedunt, eò magis sese deprimant & cõtemnant. Quod S. Dorotheus apertè significavit, cuidam præcipuæ nobilitatis viro in urbe Gaza, qui comprehendere animo non poterat quomodo quis, quanto magis sanctitate crescit, tanto se minorem existimet: cujus hæc sunt verba: Viri sancti (inquit) quanto ad Deum propius accesserint, tanto se iniquiores agnoscunt. Memini autem eum loqueremur aliquando de humilitate, & quidam ex Gazæ Principibus nos audiret istuc ipsum asserentes, obstupuisse eum atque dixisse: Hoc quomodo fieri posset, ignorare se, discere autem velle. Cui ego respondi: Dic (obsecro) Domine ac Princeps, quem te habes inter concives tuos? ad hæc ille: habeo me (inquit) ut nobilem & Principem civitatis meæ. E contra ego: In Cæsaream pergas, isthuc quem te habeas? Viliorem (ait) aliquantò Principibus Civitatis illius. Iterum: si Antiochiam abeas, quem te ibi existimes? Ut rusticum inquit quendam. Si autem Bisantij sis apud Regem, quem te reputes? ut pauperem (ait) quemdam & mendicum. Tunc ego ad eum versus: Et sic (inquam) sese habent sancti viri: quò enim Deo propiores sunt, eò se inferiores putant. Abraham quippe cùm Dominum vidit, cinerem se vocavit, & lutum: Isaias dixit, *Infelix ego, quia labijs pollutus sum*: Sic & Daniel cùm in lacu inter Leones esset, & ad eum venisset Abacuc cum prandio, diceretque *Accipe prandium quod misit tibi Dominus*: respondit eum lacrymis. *Recordatus es mei Deus*: Quantam cordis humilitatem etiam in eo lacu, & inter Leones salvus habuit? Et sanè quis ferat tonitru majestatis ipsius? Est autem majestas radus magnitudinis Dei, & ex tribus potissimum cognoscitur.

1. Ex independentiâ, & quidem certè in omni genere causa: ut & respectu omnis effe-

ctus, quod uni Deo convenit: Vnde Apostolus loquens de Deo *solus potens*: Græcè *δυναστος* solus dynasta. Hebræis Adonai, Domini, numero multitudinis, ob multitudinem potestatis. Vnde scriptum habet in paludamento, *Rex Regum & Dominus dominantium*. Propterea Ioannes Apocal. 5. ait ei sedenti in throno, omnem creaturam quæ in cælo est, & super terram & sub terrâ, acclamare, honorem, gloriam, potestatem, Græcè *κράτος* vim, imperium, & dominationem: Et Petrus appellat Divinita *magificam gloriam*: Et Paulus ait Deum esse *super omnes, & per omnia & in omnibus*: quæ voces omnem excellentiam continent, ipsius essentia, operationis, & inexistentiæ. Et ideo S. Stephanus Deum gloria, & Paulus, Dominum gloria eum vocant: Quâ de causâ cùm dicimus nos illi gloriam dare, non est sensus quasi à nobis gloriam accipiat, sed ut ait Basil. lib. de Spiritu Sancto ea gloria significat cõmemorationem mirabilium quæ illi adsunt.

2. Cognoscitur ex possessione omnis boni, seu ex infinitate in omni genere perfectionis, quæ efficit, ut singulæ Dei perfectiones efferrantur per universalitatem, & totalitatem: Omnipotentia, Omnisapientia, Omnibonitas: & ejus duratio, vocatur æternitas, quæ tempora omnia comprehendit: Et ipse dicitur à Paulo *Rex seculorum*: à Daniele *Antiquus dierum*: à Isaiâ *Habitans æternitatem*: à Syris, Gigas sæulorum. Illius extensio dicitur immensitas quæ omnia loca complectitur: & quâ ut ait Athanasius est in omnibus, & extra omnia: & ut dicit Minutius in Octavio est ubiq; non tantum nobis proximè, sed infusus: Eius scientia dicitur Sapientia quæ cõprehendit omnes scientias, superatq; universas cognitiones: Vnde Dion. Areo. c. 5. de Div. nom. vocat, *ὡνέροσσοφον σοφία* Sapientiam omni sapientia superiorem. S. Paulus Eph. 3. *Multiforme sapientiâ Dei*.

Nam,

Nam, ut ait idem Dion. de Div. nom. c. 7, Divina Sapiencia seipsam noscens noscit omnia: est enim rerum omnium speculum lucidissimum in quo distinctissime videt omnes partes mundi, species omnes, naturas singulares, minutias rerum, vim omnem, & varietatē, herbas, stirpes, animātes, quasi in digitis suis numerat arenas in litoribus, pisciculos in mari, stillātes pluviae guttas, arborum frondes, temporum momenta, hominum & Angelorum cogitationes quæ sunt, quæ fuerant, & in omnem æternitatem sunt futura; nec minus comprehendit muscas in aëre volantes, passerulos in terram cadentes, vibrantes in capitibus capillos, quā stellas micantes in orbibus, quas nominatim vocat, ait Baruch, *nomine suo, & illa respondent adsumus*: Porro illa scientia nec tempore augetur, nec minuitur oblivione, sed attingit à fine usq; ad finem, & præterita & futura omnibus sæculis eque videt atq; præsentia, omnia enim ut ait Apostolus, *Nuda & aperta sunt oculis ejus*. Potestas ejus vocatur Potentia, quippe quæ comprehendit omnes potestates. Unde David Ps. 101, *Quis loquetur potentias Domini?* cui nihil resistit. Vnde vertit Chaldaus, *Quis poterit eloqui fortitudines Domini?* cui nihil impossibile, immò nihil difficile est. *Dixit & facta sunt*, cujus magnitudinem ut exprimat B. Virgo vocat in Cantico suo brachii potentiam, *Fecit potentiam in brachio suo*: Deniq; ejus Essentia ea est quæ comprehendit omnia infinitate suā. Vnde dicitur à Nazian, orat. 38. *πέλαγος ὁσίας ἀπειρον*. Interminatum essentiae pelagus. De Apost. Rom. 11. *Ex ipso, & in ipso sunt omnia*: Quod verò ipse est, plus est, quam quod alia continet: Itaque S. Dion. de Mysticâ Theologiâ, *Ipsi tribuit infinitatem, omnem essentiam superantem ὁπερ ὁσίων ἀπειλίαν*. Et Paulus eum vocat Magnum Deum, non comparative solum, sed absolute ut ait S. Chrysof. post quē nemo (ait) rectè dici potest magnus: solus enim est cujus magnitudinis nullus est

finis: Et propterea David, Ps. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*, quod exponēs S. Hilarius: Hæc Dei prima, & præcipua laudatio est, quod in se nihil mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum, magnitudinis suæ habeat, & laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur,

3. Cognoscitur ex ratione actus puri, ex quo fit ut cum infinitas habeat perfectiones, ad hæc infinitos infinitarum perfectionum gradus, simplicissimus tamen sit, & simplicissime atque unissime uti loquitur S. Bernardus omnia sit quæcumq; est hæc Essentia: quod ex eo habet quia actus purus est; nam æquè primo est omnia quæcumque est enim illud esse quod vocatur Exo. 33. *Omne bonum*, quod appellarunt antiqui τοῦ καλοῦ. hoc omne quod est, quod nullā ratione melius cogitari potest, neque exprimi quàm per actum purū, cui nihil accedere potest, aut adjici, jam enim potentia aliqua intelligeretur, quæ omnis Deo repugnat, quia actus est purus, quod nulli alteri enti convenire potest.

Ex independentiā itaque, infinitate & ratione actus puri rectè intelligitur sublimis illa Dei majestas, quæ in Deo nihil aliud est quam eximia quædam infinitaque naturæ sublimitas, & clarissimus in res omnes dominatus, ob quem omni honore dignissimus putandus est, & in cujus conspectu omnis creatura contabescat, usq; eò ut ne cogitatio quidem ipsius fieri possit secundum illud: *Scrutator Majestatis opprimetur à gloriâ*. Hinc oritur ut singulariter Deus oderit superbiam, & diligit humilitatem, ut vacuitatem impleat, nullāq; re frequentius gloriatur in Scripturâ, veletiam prædicetur quàm hoc nomine; uti in Cantico B. Virginis, & in Cantico Annæ 1. Reg. c. 2. *Arctus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore: Repleti prius, pro panibus se locaverunt; & famelici saturati sunt: donec sterilis peperit plurimos,*

mos, & qua multos habebat filios infirmata est, & in universum subdit Dominus mortificat, & vivificat; deducit ad inferos & reducit: Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & sublevat: Rationem eorum omnium subjicit. Domini enim sunt cardines terra, & posuit super eos orbem: quibus verbis significatur eximia Dei potentia, qui rerum omnium absolutus est Dominus, quæ cogitatio ad humilitatem potentissima est. Quo enim fulmine concutitur superbia, cum dicitur *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: parum siquidem est quod Deus superbos oderit, nisi etiam ipsis bellum inferret, quo modo solemus resistere in vaforibus cum eos existimet in vafores suæ gloriæ quam unam sibi reservavit. Exempla sunt in Pharaone de quo dicitur ad Rom. c. 9. *Quia in hoc ipsum excitavit te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in universâ terrâ.* Item in Rege Nabuchodonosore quem infra hominem abjecit, dans ei cor feræ, & brutæ animantis annorum septem spatio.

Altera Dei cogitatio ut iudicis multum promovet humilitatem: cum enim Deus aliter iudicet ac homo, fit ut sit nullus qui coram Deo se possit extollere, coram eo inquam quietiam iustitias iudicet, omnesque dicere cogat cum Psalmistâ, *Et non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et cum Apostolo, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me Dominus est*: Idem Abbas Agatho proxime moriturus, cum fratres circumstantes eum interrogarent, an timeret, respondit: Hactenus elaborasse se pro viribus, ut Dei præcepta observaret: cum tamen homo esset, ignorare se an Deo grata essent opera sua, ut pote quod aliter iudicet Deus, aliter homo: Et ita Job sic de se conqueritur c. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Si autem & sic impius sum, quare frustra laboravi: Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint ve-*

lut mundissima manus mea: tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea: neque enim viro qui similis mei est, respondebo; neque qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri.

II.

Consideratio quam inire de nobis possumus, habet esse & non esse admixtum. Nam, absolute loquendo, neque esse neque non esse nobis attribui potest, quandoquidem sumus esse finitum, hoc est cui admixtum est non esse. Ibi enim finitur nostram esse, quando desistimus esse plusquam sumus, & quum inest aliquid quod non sumus. Incipiamus à non esse, quod in nobis est quadruplex, entis, meriti, operationis, culpæ.

1. Quoad non esse Entis, sanè ex nobis nihil sumus quia cum nihil per totam æternitatem fuisset, non fuit in nostrâ potestate nos extrahere ex nihilo;

2. Non potuit à nobis esse initium meriti, uti præclarissime contra Pelagianos disputavit S. Augustinus.

3. Quoad operationes supernaturales vel meritorias ita inhabiles sumus ut egeamus triplici gratiâ, præveniente, concomitante, & subsequente, ita ut nec minimam bonam cogitationem à nobis habere possimus, sed semper, atque ubique Dei auxilio egeamus: quam doctrinam ita acriter defendit contra Pelagianos; & alios Hæreticos S. Augustinus, ut ejus doctrina sit iudicata sola Catholica, & orthodoxa, & Magister gratiæ sit appellatus, ut ex eâ agnitione adeo clara & perspicuâ, collegerit Vasquez non minorem fuisse in B. Augustino humilitatis virtutem, quâ in S. Francisco, quo nomine erga beatum istum Doctorem, ipse quoque Doctor egregius mirum in modum affectus erat. Hinc S. Basil. hom. 22. ita nos admonet; agnosce te ipsum quis sis, sicut Adam ejectus ex Paradiso, sicut Saül destitutus Spiritu Dei; sicut Israël à sanctâ radice rejectus: *Fide inquit stas, noli alium sapere, sed time.*

Q 2

4. Nihil

4. Nihilum culpæ nos abiecit infra nihilum quodlibet naturæ: Cogita dæmones, damnatos item quid sit inimicum esse Deo, eidem odiosum, indignum omni gratia: Ad hæc peccatorū turpitudinē, fœditatem, numerū, non tantum ratione plurium actuum, sed vel unus; nam in uno actu peccati distingui possunt variæ deformitates; unde David cum tantum duo peccata adulterium, & homicidium admisisset, aiebat peccata sua multiplicata esse supra capitis sui capillos.

Succedit consideratio boni quod duplex est, naturale & morale. 1. Quidem quoad naturale attinet, ad istud nihil nos contulimus, sed totum accepimus: itaque cum non simus nostri, nihil est quod laudem & gloriam admittamus: cum laudatur domus, vas, aut pictura, nemo ambigit quin laudetur artifex, & si forsam opera viverent, atque sensu aliquo essent prædita, insulsa haberentur si eam laudem ipsa sibi vindicarent.

2. Quia illud totum habet principia vilissima: anima anima enim oritur ex nihilo, corpus verò ex fœdissimâ materiâ, uti præclare disputat Innocentius libr. de vanitate mundi.

3. Quia finiti sumus, & perfectionis exigua, quid patet ex numero infinito naturarum, quæ omnes inter se singularibus perfectionibus dirimuntur.

4. Quia innumeri sunt in nobis defectus naturales in omnibus nostris facultatibus, interioribus & exterioribus.

5. Quia debitam nobis perfectionem nunquam simul habemus.

6. Quia semper in deteriùs mutamur usque ad interitum.

7. Propter innumeros casus quibus obnoxij sumus, secundum corpus, & animam: In corpore sunt morbi, dolores, mors; In animâ, infania, error, deceptio: qui defectus tam facile hominibus contingunt, ab interno, ab

ter, insanabiliter, & omnibus possunt accedere.

Eò referti possunt bona acquisita, scientia artes, opes, fama, honores, quæ quidem perexigua sunt, & ferme aliena, & vanissima, & circa quæ innumeri casus contingere nobis possunt, & in quibus à belluis superamur, ut in pulchritudine, sanitate, robore, celeritate, visu, auditu, odoratu, industriâ, & similibus: Quam enim inferiores sumus in scientiâ, artibus, eloquentiâ, ingenio, Dæmonibus, & multis damnatis, & improbis hominibus; ut vel hinc pudeat gloriam & laudem velle accersere, unde à tam multis abjectissimis superamur.

Jam bonum morale complectitur potissimum gratiam & virtutes, seu sint habitus, seu sint actus. At 1. nascimur omnes peccatores, & filij iræ, & ad malum propensi, nullaque in nobis potentia est interior & exterior, quæ non sit prona in malum, & non habeat aliquem defectum: Illud verò bonum quod in nobis est, Deus per vim conservat contra corruptæ naturæ nostræ inclinationem. Ad hæc nullum est in nobis bonum, quod non sit datum, juxta illud Apostoli, *Quid habes quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Basil. homil. 22. Gratiam sequitur judicium, & quo pacto donis sis usus, requirit iudex; & Luc. 12. *Omni autem cui multum datum est, multum queretur ab eo, & cui commoda verunt multum, plus poterit ab eo;* 2. Illud bonum quodeumque in nobis est, semper aestimari debet per exiguum; cujus enim boni capax est unus homo?

3. Multis mixtum est defectibus: quam in rem hunc sensum dedit Deus Patri Alvari anno 1568. 16. Novembris, uti in suo libello scriptum reliquit. Significavit ei vitam spiritualem esse similem telæ argenteæ, quæ in texitinâ conficitur, ac quemadmodum inelset deformitas, si in subtegmen immitteretur

Crassum aliquod filum quo totum opificium dedecoraretur, ita rem admodum inventam, planeque ridiculam esse culparum nostrarum admixtionem cum opere Dei, cogitationum nostrarum, nostrorumque verborum & operum cum eo quod inspirare nobis Deo propositum est. Si enim unam habemus e cœlo, immisceamus e nostro fonte duodecim infullas, quæ primam corrumpunt. Si Deus salubre aliquod verbum nobis suggerit, miscemus illud & commaculamuss profluentiam verborum supervacaneorum, quæ saniorum animi nostri partem auferunt. Attramen pretiosa hæc tela non debuerat texi, nisi cum cogitationibus plane divinis, cum verbis e cœlo acceptis, actionibusque cœlestibus: sed quod e nostro adjicimus, totum opus depravat, & dedecore imbuat, aded nihil agimus integrum ac sincerum. Cogitate quid sentiretis de uvâ quæ pro uno probi racemi grano haberet alia decem corrupta & putrida? Quid de ea scriptione, quæ ad singula quæque vocabula lituram unam, aut attramenti maculam haberet? Quid de tabula quæ pro unico penicili ductu idoneè posita, errata quam plurima objiceret? Nonne contemneretis & racemum, & scriptionem & picturam? Ex eo judicatote, quàm parvi facere debetis bonas actiones vestras, ubi tantum est malæ, admixtionis, tot infunt vitia, atque errata tot inconsiderate ac præpropere facta, tantum vanitatis, desidia, inconstantiæ, aliarumque culparum, e quibus maxima pars vitæ nostræ conflata est. Itaque recte monet Basiliius homil. 22. ne homo sit sui iniquus iudex, neque ad gratiam seipsum examinet, ut tantum memineriteorum quæ recte habent, non autem quæ male, *ὅτι ὁ θεὸς περὶ πάντων ἐξετάζει τὸν ἀνθρώπον*, neque enim Deus hominem particulariter examinat, sed opera & cogitationes simul & conjunctim; non itaque uno positu homo videndus est,

sed toto corpore; quod multos decipit, qui se ab unâ parte tantum intuentur & reliqua omnia secum dissimulant.

4. Quàm incertum est nos habere gratiam veralque virtutes, cum nihil similius virtutibus, quàm vitia? Quàm sæpe putamus aliquid esse tantum peccatum veniale, cum sit mortale?

5. Quàm facile gratiam amittimus, ac bene vivendi propositum deserimus; nulla virtus rarior est perseverantiâ.

6. Quàm certum est nos saltem venialiter peccaturos: nam ut ait S. Ambrosius, Nullus dies sine peccato nostro præterit.

7. Nemo certus est de perseverantiâ, quemcunque tandem in se animum sentiat; nemo illam mereri potest, & semper est donum Dei omnino gratuitum, quo sæpe privat vel solum obtemporem, neglectas aliquas gratias, multo magis propter peccata.

8. Nemo non potest esse reprobus, atque damnari; quia nemo cum peccaverit sibi gratiam polliceri potest, nemo verò sperare potest sibi que promittere se nunquam peccaturum, cum Apostolus admoneat, *Qui stat, videat ne cadat.*

III.

3. Consideratio est rerum aliarum creaturarum in multitudine, varietate, nobilitate: Quota pars ego sum illorum omnium? Ita Beatus Ignatius facto progressu comparatio seipsum dejiciebat, cum cogitaret quantum esset ad integram familiam; quid familia una ad vicum integrum; quid vicus ad urbem; quid urbs ad provinciam; quid illa ad regnum; quid istud ad orbem terrarum; quid homines presentes ad præteritos & futuros quid homines ad Angelos; unde cum ad se rediret vix se superesse aut esse aliquid, ad eam comparationem credebatur.

Q 3

2. Video

2. Video nullam esse ob quam Deo non sim obnoxius, cum in ejus conditu, & conseruatione aliquam mei rationem habuerit. Itaque illas specto ut mea nomina atque debita, quibus cum nequeam satisfacere, hinc mei abjiciendi occasio exoritur: & certè dixit Basil. Gratiam sequitur iudicium.

3. Nullam esse quã in mei perniciem abuti non possim secundum illud Sap. 14. *Quoniam creatura in odium Dei facta sunt, & in tentationem anima hominum, & in musculam pedibus insipientium;* unde ex omnibus occasionem humilitatis lumere possum: itaque recte agebat ille Creaturas singulas hæc tria nobis dicere, accipe, redde, cave.

4. Cogito nullum esse alterius peccatum in quo labi non possim, juxta dictum illud B. Augustini. Non est peccatum quod facit unus homo, quod facere non possit alter homo: unde ille è priscis Patribus cum audisset alium incidisse in fornicationem exclamabat, vae mihi, vae mihi, quare ulli me præferre debeo.

5. Nullum esse hominem vel Dæmonem cui sine mendacio subicere me non possim, si me comparem in iis, quæ habeo à me ipso, cum iis quæ habent ipsi à Deo: quã ratione sanctissimi se pessimis subjecerunt. Ita Salomon de se loquens Proverb. 30. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum: non didici sapientiam, & non novi scientiam sanctorum.* Quasi diceret, quoad me attinet, stolidissimus sum virorum omnium, quia nihil scientiæ, studio meo atque industriã & more aliorum hominum, mihi paravi, & si quid habeo, illud mihi infusum est, quare quoad me attinet, omnium hominum insipientissimus sum. Nec est quod respectu alterius ullus sese efferre possit: Quia ut rectè monet Basil. Homil. 22. Nihil est quod contra proximum extollamur. *Opus suum,* inquit Paulus Gal. 6. *probet unusquisque, & sic in semetipso*

tantum gloriam habebit, & non in altero: quid enim utilitatis attulisti proximo quod fidem confessus es, aut exilium propter nomen Domini perpeffus, aut ieiunandi molestias tolerasti? horum utilitas non est alterius, sed tua.

Iam verò si spectem tria tempora præteritum, præsens, & futurum, magna ex quolibet seges humilitatis: Nam in præterito versus innumera sæcula, nusquam fui: nulla mei memoria, nullus locus, nulla duratio, nulla consideratio, nulla necessitas fuit, sed facilè me caruerunt. In exiguo verò tempore quo fui, nihil præter pœnitentiam, aut certè exiguam memoriam residuum est. Præsens vero meum vix est aliquod nisi instans fugiens, ac labile. Quod si duratio ab existentiã rei non distinguitur, quale est esse nostrum unitantum instanti commensurabile? Certe angusto loco concludimur: eo nempe quo corpus nostrum comprehensum est sed spatium durationis longè minus est, & cuiuscunque hominis summi mensura esse potest quodlibet instans: futurum autem nobis occultum est, & incertum. Ad hæc quæ nos manent & quæ sola certa sunt, plena sunt periculi, dedecoris, & doloris: mors nimirum, sepulchrum, putredo, iudicium, supplicium, nostri oblivio apud homines: præter innumeros casus, qui in vitã contingere poterunt, quorum habemus in aliis exempla multa.

Ad extremum illud non omitam: Sicut scorpio morsus sui remedium est, & sicut viperæ caro adversus venena remedium est, ita ex ipso superbiæ vitio tantoperè nobis familiari ingens humilitatis incitamentum, & contrarii morbi remedium accipere possumus. Est enim peccatum dedecore plenum

num quod vix aliquis fateri velit, quodque nemo in aliis ferat, utpote absurdissimum atque insanum, ac nunquam quiescens donec ad summum stultitiæ, atque impietatis apicem pervenerit secundum illud dictum Prophetæ *superbia eorum ascendit semper*: Ejusmodi à se vitium exemplum refert Dorotheus Doct.

2. Memini fratres mei, vidisse me aliquando hujuscemodi hominem, qui cum alium laudari videret, illum statim sperneret, dicens, quis est ille? Non est alius præter Zozimum, & qui cum eo sunt. Post cœpit & illos contemnere, ac dicere neminem esse alicujus pretii præter Macarium. Et paulò post, Quis, ait, Macarius? Nullus est præter Basilium & Gregorium. Atque etiam non multò post, hos quoque cœpit pariter spernere, & nullum pretii ullius existimare, nisi Petrum & Paulum. Huic ego prædixi quod evenit, fore ut hos quoque brevi contemneret, quod sanè factum est, nam eos sprexit, & nihil habendum esse in pretio præter Trinitatem asserere cœpit; statimque in DEVM quoque factus insolentior, exarsit & intumuit. Eò certè tendit omnis superbia,

quod cum turpissimum sit, nobis est hoc fonte magna humilitatis occasio.

Cùm igitur homines tanta commoda habeant ad humilitatem, quò fit, ut tantæ pauci humiles sint? Ecclif. 20. *Quid superbit terra & cinis?* hoc est, cum mille causas habeamus nos abjiciendi, interius, exterius, sive nos spectemus, sive alios, seu res omnes, sed cum omnia deessent, vel ipse honoris appetitus nos à superbiâ remove debere, & ad humilitatem inducere. *Quia qui se humiliaverit, exaltabitur.* Quid est, inquam? videbimus Concione sequenti: Interim ex tot incitamentis ad humilitatem unum aliquod seligemus quo tantæ virtutis exercitium nobis fiat facile atque expeditum; ut aliquando verè humiles in hac vitâ, simus in aliâ gloriosi, & in nobis verum sit illud

CHRISTI effatum tam solenne:

Qui se humiliaverit exaltabitur.

Ita sit, in cœlis.

* *
* *

